ILLVSTRISS. PRINCIPI TRIDENTINO, BRISCIANONI'QVE EPISCOPO AC CARDINALI, Præfecto regionis Insubriæ, CHRISTOPHORO MADRVTIO, HIERONYMVS CARDANVS Mediolanensis Medicus, S. P. D.

QVICVNQVE res diuinas atque humanas diligentius contemplati sunt, optimè Princeps, illud præcipuum in Diuinis admirantur, quòd tam diuersa, atq; adeò inter se differẽtia, ab uno indiuiduo ac simplicissimo principio prodeant: in humanis, quòd cùm tã exiguo corpore, breuiq; uita, ac tam graui materiæ impedimento, nostra mens ad cœlestia penetrare potuerit. Quæ quum & ego mecũ ipse reuoluerẽ, duo illa maxima esse existimaui, ut ab illa scilicet inuiolata unitate atq; indiuidua, infinita perpetuò, uariaq; ac singulis temporibus diuersa profluerent: & quòd hæc mortalia, quantum illis liceret, ad diuinitatem contenderent, ac propè accederent. Duo igitur cùm sint capita huius ad-

mirabilis processus, primùm quòd & Vniuersi principiũ est, quo diuina atq; immortalis natura in hæc mortalia atque caduca diffunditur: alterum quo humana mens mortalia atq; caduca, studio atq; scientia ad diuinũ illud principiũ contrario quasi ordine reuocet: hoc secũdum genus, quod solùm nostrum est, tanti fecerunt maiores nostri ut Pythagoras è Samo in Ægyptum ut Magos adiret, transierit: deinde in Cretam ac Lacedæmonem: Plato Italiam & Ægyptũ ex Athenis adierit. Quòd exemplum secuti medici, etiam clariores fermè omnes, lõginquissimas regiones peragrarunt. Tanta enim est sapientiæ dulcedo, tã gloriosa possessio, tam utilis exercitatio eius, tam diuinus amor fructus illius, tam secura quies in eius contemplatione, ut omnes homines hoc naturali desiderio teneantur. Quamobrem neq; miror, maiores nostros scientiarum & disciplinarum inuentores, pro dijs coluisse, quod & beneficio humani generis & propria excellentia, dij uiderentur: tametsi quod alieno dono fruerentur, à dijs multum differrẽt. Sic Apollinem ob musicę, Æsculapium medicinę, Minoẽm legum, Mercurium arithmeticæ, Cererem & Bacchum ob agriculturæ inuentionem pro dijs habuerunt. Verùm,

ut reor

ut reor, non minor etiam laus eorum est, qui iam inuenta posteris scribendo tradiderint, quàm ipsorum inuentorum. Vt minus etiam mirum sit, libros præclaros atq; bibliothecas adeò fuisse cordi, atq; in honore apud maximos ac prestantissimos reges. Alexãder Homeri carmina eo scrinio conclusit, quo Darius unguenta seruare solebat. Ptolemæus Philadelphus bibliothecam sic instruxit, ut undiq; libros maximis pretijs conquireret. Si sumptum in eã quis æstimarit, regni unius pretiũ facilè superabit. DCCM. enim librorum coëgisse dicit. Videat modò quis quãti emerit singulos? quanti exemplaria persoluerit, dum exscribi iubet. Neq; solùm amor & honor in artes & libros, sed & in ipsos artifices emanauit. Beroso enim Astrologo, quod prædictiones eius ueræ essent, statuam cum lingua aurea, Athenienses in Gymnasio posuerunt. Phalaris quamuis tyrannus, Stesichorum poëtam à quo multis & intolerabilibus iniurijs affectus fuerat, cùm captiuum haberet, extremaq; antea supplicia comminatus fuisset, liberum reddidit, muneribusq; illum egregijs prosecutus est. Plus sapientiæ soli tribuens, quàm potentiæ, quàm iniuriæ, quàm iracundiæ, ac etiã exemplo, quo se ab alijs securiorem red-

deret. Pyndaro Lacedæmonij dum Thebas comburerent, pepercerunt. Domui enim inſcripſerat:

Πινδαρου τοῦ μουσοποιου τὴν στέγην μὴ καίετε.

Neq; inclytis uiris ſoli homines pepercêre, ſed dij. Apollo è templo expulit Archilochi interfectorem, dicens: Muſarum miniſtrum interfeciſti, exi è templo. Simonidem quoq; poëtam ſeruarũt Caſtor & Pollux, dum apud Scopam cœnaret: illo enim forâs euocato, ſtatim triclinium corruit, obruitq́; conuiuas. Infinitum eſſet, ſi uellem tot exemplis, quæ mihi occurrunt, inſiſtere. Sed iam non hic conſiſtit omninò, ut enim ſumma uidetur eſſe laus inuentorum atq; ſcribentiũ, ita maxima uoluptas diſcentium. Quod cùm pręter cætera, maximè ſapientum exemplo conijcere licet: Thebit Bẽcorat quadraginta annis in monte habitauit, ut motum octaui orbis deprę henderet, nec ſatis aſſecutus eſt. Democritus ſtultitiam ſimulauit, ut uiſcera animalium diſſecari ac rimari liceret. Dioſcorides totam uitam in peregrinatione conſumpſit, ut plantas agnoſceret. Ariſtoteles ſubminiſtrante Alexandro, quadringenties, & octuagies mille philippeos aureos impendit, ut animalium hiſtoriam cognoſceret. Atque utinam, ô magnanime Prin-

ceps,

ceps, tam tibi fortunã illius, dij dediſſent, quàm animum & mentem. Neq; enim futurum dubito, quin multò maiora tua illa ſplendida magnificentia in lucem prodirent. Quandoquidem iam tuis auſpicijs tam feliciter plantarum hiſtoria ædita ſit. Et nos nunc labores hos noſtros uarię, reconditęq; naturalis non ſolùm, ſed & artificioſæ hiſtoriæ ſub nomine tuo ſimus æddituri. Sed ad rem redeo, unde ſpes omniũ bonorum atq; eruditorum uirorum in te, deſideriumq; augendæ rei literariæ me auocauerat. Plinius ut Veſuuij montis conflagrationem uideret, periculo mortis manifeſto ſe ſubiecit, & perijt etiam. Tanti fecit uel minimam ſapientiæ partẽ, uir alioq; felix ac prudens, Imperatoriq; charus, ut non dubitârit mortis periculum adeò pręſens, diſcẽdi cauſa ſubire. Hieronymus uir ille omni laude dignus, in ſolitudinẽ ſe cõtulit, ut melius uacaret ſtudijs, dẽtes (ut ferunt) lima comminuit, ut Hebræa ac Chaldaica aptiùs exprimeret. Pythagoras latuit perpetuo quinquennio ſilentium retinens: unde mos ille taciturnitatis in diſcipulos eius dimanauit. Noſtris quoq; temporibus non defuêre, qui maiora ob ſapientię ſtudium auſi ſint. Cadauera ex ſepulchris ſubripiebant, diſſecabantq;, alij col-

lés ac montes aſsiduè luſtrabant, diſcendarum plãtarum cauſa, ut illuſtriſsima uolumina conderent. Ea eſt enim ſtudiorum ſapientię dulcedo, ea ſuauitas, ut quum quis eam deguſtauerit, quaſi poculis Circes captus, non poſsit unquam ab illis in uita diſcedere. In pompa ſolenni ſunt, qui agunt, qui imperant, qui ſpectant. Nónne omniũ feliciſsimi ſunt ſpectatores ab omni cura & ſolicitudine uacui? Cæteri partim curis, partim etiam laboribus & difficultatibus plurimis impliciti. Itaq; ueſter hoc totum mundi ſpectaculum, hæc pompa, quaſi omnium ſapientum ſolùm cauſa facta eſſe. Si qui beati ſunt atq; felices, hi reges atq; principes ſunt, quorum omnia in ſummo uerſantur faſtigio. Hi ſoli imperant omnibus: horum ſunt diuitiæ, uoluptates, honores, deliciæq; omnes. Et tamen hi, ſi cũ ſapiente cõferantur, minus beati ſunt. Quid enim ei uoluptati comparari poteſt, quàm diſcendo capimus? Quid iucundius, quàm ſcire quid ſimus, quid fuerimus, quid erimus, atq; cum his etiam diuina atq; ſuprema illa poſt obitũ mundiq; uiciſsitudines? Deniq; præterita noſcere, atq; futura? Quã ob cauſam Ianum illum bifrõtem antiqui finxerunt, in quo ſalus Romanæ Reipublicæ poſita erat, niſi ut docerent, ſcientiam

præteri-

præteritorum atq; futurorum diuinã esse, ac omnium præstantissimam? Aristoteles, qui regum causæ ac potentiæ maximè fauit, quiq; amicitiam & familiaritatem felicissimi ac potentissimi Regis, imò quod maius est, præstantissimi ac generosissimi consecutus est, non in regia potestate, non in uirtute etiã, imò neq; in factis strenuis summam felicitatem collocauit, sed in sapientia sola. Inquit enim, de dijs loquens: Vita illis perpetuò qualis nobis pauco tẽpore, optima est. Ipsa uerò cogitatio per se optima est, & eò melior, quò excellentiora atq; optima cognoscuntur. Itaq; contemplatio optimum est eorum quæ nobis insunt, & maximè iucunda. Quin etiam maius hoc testimonium est, quod ad Alexandrum ipsum (ut antea dixi) regem felicissimum scribens: hęc habet: Longè enim pulchrius ac regale magis animo esse bene cõstituto, quàm habitum corporis uestibus ornatum pulchris intueri. Rerum enim humanarum augustissimũ est rectè consultatione uti. Hoc enim unum est, quo cæteris animalibus præstamus, quoq; præclarum quiddam ab immortali Deo adepti uideamur. Etenim si oculis cernere iucundũ est, animi luminibus cernere longè admirabilius est. Ob id inuentis nostris adeò dele-

ctamur, ut non ſecus ac pro filijs, pro illis mori periclitemur. Rurſus & alibi: Vt quiſque optimè animo conſtitutus eſt, rationemq; ducē in uita obſeruat, ita Deo chariſsimus eſt. Quum enim dij re quæ in nobis optima eſt, & generis eorum ſocietate coniunctiſsima delectentur, qualis mens eſſe uidetur, par eſt ut his qui eam ament & colant, (ueluti rem ipſis chariſsimam) beneficia reddant. Nec uerò dubium eſt, quin hæc ipſa inſint omnia ſapienti. Ergo Deo ſapiens chariſsimus eſt, idemq; beatiſsimus eſſe debet. Quòd ſi forſan famam reſpicias, non pauciores Ariſtotelis quàm Alexandri meminerunt. Quin etiam unius tantùm Alexandri res geſtæ narrantur ſua ætate, ac Darij infamis clades, cùm æqualium Ariſtoteli ſapientum plurimorū gloria floreat, Speuſippi, Xenocratis, Demoſthenis, Æſchini. Sed quid etiam de Alexandro habemus, præter puram ac ſimpliciſsimam memoriam nominis & geſtorum? cùm Ariſtoteles totus uiuat in monumentis? Quid enim ex eo perijt, niſi ſicubi libri aliqui interierunt? nam ſenſus & corpus quid ad eum pertinebant? Quæ cognoſcebat cuncta, quæ ipſum diligebat, & totum comprehēdebat Ariſtotelem tota ſupereſt, tota ſuperuiuit, tota nobiſcū uerſatur,

ſatur. De antiquitate, quis regum Orpheo poteſt comparari? is ab orbe cõdito, ut referunt, bis mille ac ſeptingentis annis floruit. Et nunc etiam uegeta illius mens in carminibus cernitur. Eorum autem regum qui tunc floruerunt, memoria perijt. Triſmegiſthus ille terũe maximus nónne ob ſapientiam, non autem ob regnum, aut ſacerdotium, nunc illuſtris eſt? Ita licet uidere collatis cõditionibus, ad nominis perpetuitatem nihil magis prodeſſe ſapiẽtia. Quærimus infelices nos eſſe, cùm id contingat, quòd auerſa mente ab ipſa ueritate, rerumq; cognitione, alius alio uolutatur in errore, lucẽq; quærimus in tenebris, quietem in bello, ſecuritatem in periculo, trãquillitatẽ in tumultu. Vbi neſcias quid ſit felicitas, quomodo felix eſſe poſsis? Vbi non noris, ubi finis ſit noſtrarum actionũ, quò diriges uitam? Quís nam nauta tã peritus, ut ſi quo tendat, neſciat, nauim quò tendat dirigere poſsit? Obruunt ac ſepeliunt cogitationes noſtras animi uehementes perturbationes, quærimusq; unguentum in cœno. Expedit ſcire finem noſtram, ac ſubſtantiam & originem, quęq; conducunt ad benè, beateq; uiuẽdum. Magna ergo atq; magnifica inter mortales, licet ſint opes, amici, atq; potentia: ſi tamen ad horum

rum ſtudia, notitiam ac cõtemplationem referantur, cùm breuitatem uitæ noſtrę reſpicimus: cùm imbecillitatem uiriũ, cùm morbos, affectus, fortunæ inſtabilitatem, & quod intolerabilius omnibus eſt (quod tamen plerunque euenit) ut inde maximè torqueamur, malaq; proueniãt, unde maiora bona ſperabamus (dico filios, affines, clientes, ſeruos, & quod maximum eſt, eos quos beneficijs affecimus) nihil profectò iucundum prętер ſcientiam, nihil beatum præter ſapiẽtiam inuenire licebit. Similis autem mihi uidetur cæterorum mortalium uita atq; conditio maritimæ negociationi; ut qua omnes naues ſibi parent, ſine quibus ipſa negociatio exerceri nequit, nemo tamen nauiget: ſed in his quæ alterius ſolùm cauſa inuenta ſunt, tãquam ipſa ſint uera ac ſolida bona, diuitijs ſcilicet, honoribus, amicis, atq; potentia, uelut in fabrica nauis omnes conſiſtant: eaq; ſolùm admirentur. Ita ex negociatoribus orbis, ex tanta pulchritudine luſtranda, tantisq; diuinis opibus comparandis facti ſumus ipſius nauigij admiratores. Itaq; quũ hæc mecum reputo, nihil in hac uita ſapientiæ fructibus dignius eſſe exiſtimo, nam & homo à mortalitate ipſa ſeiũgitur, & ex uiliſsima hac ſorde æternam lucem elicit,

ac ue-

ac uelut è luto, aut topho gemmas. Sed nihil gemmis cùm tam claris, cùm tam perennibus atq; diuinis uisibus cõmune est: omnia quæ hic pulchra habentur, gemmę, aurum, prata, mensæ, ædes, mulieres, lux ipsa, pulchritudinẽ ex summa illa pulchritudine nanciscuntur, illiusq; solùm umbrã referũt. Mortalia hæc, illa immortalia: hęc impura, illa purissima: hæc sordida, illa nitida: hæc fragilia, illa solida: hæc inconstantia & instabilia, illa secura atq; quieta. Nihil hîc nostrum est, nihil amas quod odisse non possis: at illa omnia nostra sunt, atq; perpetuo amore digna. Esurimus hîc in copia bonorum horum futilium & fictorum. Illa nos saturant, & non satiant: hæc uerò satiant, & nõ saturant: nemo qui illa degustarit, eis carere potest: hi quia non degustarunt, non amant, nec magnifaciunt. Arcana cœli, naturæ secreta atq; recondita, diuïnas mentes, ordinẽ hunc uniuersi noscere atq; scire, maioris certè est felicitatis, atq; dulcedinis quàm uel cogitatione ipsa quis assequi possit, aut mortalis sperare. Superos obtestor, nõ tam Christianũ esse, quàm etiam naturali ratione cõprobatum, si nihil à morte superesset, nullam deteriorem futuram conditionem humana. Quoniã bona omnia illa corporea, omnes sen-

suum

ſuum illecebræ adeò uanæ ac mendaces ſunt, ut mala bonis iuncta ſemper appareant. Sed ut ſingula diligentius proſequamur, nec ſemper in generalibus perſtemus, uideamurq; elegantia orationis, & uerborum ornatu magis uelle fallere, quã docere, laudare opus quàm illius utilitatẽ explicare: quidnám euidentius, quid certius demõſtrationibus geometricis? quid ſubtilius arithmeticis inuẽtionibus? quid iucundius muſicis rationibus? quid diuinis aſtronomicis, aut mirabilius? quid cõmodius architecturæ præceptis? aut quid utilius medicis contemplationibus? quid denique, ne ſingula perſequar, maius magicis naturæ arcanis? Hęc ego quum mecum reuoluerem, & quanta nobilitas eſſet in rebus, quanta admiratio in inuentione, quanta utilitas in ſcribendo, quanta commoditas atque uoluptas legentibus futura eſſet, intelligerem, immenſum opus aggreſſus ſum. Quanta arte, quali ingenio, atq; induſtria, fortunáue, alij iudicabunt: nos certè, laborem, ſumptumq; temporis agnoſcimus, atq; ſentimus. Plura erant, quàm quæ uno uolumine comprehendere liceret, & maiora quàm quæ mens mea aſſequi poſſet. Verùm in hoc, præſens illud numen cui aſsiſtimus, nos adiuuit: magni-

tudinem

tudinem tractationis, operis diuisione laboremq; leniuimus. Nam sublimia illa, atque diuina quæq;, nemo præter Plotinum attigit, ortumq; mortalium rerum omnium ac finem, septem libris de Æternitatis arcanis, amplexi sumus. Ordinem uerò uniuersi, ac singulorum quæ in eo continentur, quatuor libris de Fato. Principia autē rerum naturalium ac artificialium generali historia in x x i. libris de Subtilitate tractauimus. Reliquum igitur erat, ut propriā uniuscuiusq; enarrationem subiungerem, quàm in decem & septē libros digessi. In quibus id præter reliqua fuit difficillimū, tam uariam historiam aptè in unum connectere. Impar enim fuisset exemplar operi: si quum omnia in uniuerso continuantur, continuata atq; indiuisibili serie, ego de illius partibus quasi typum quendam ad illius imaginem fingens, tanquam fasciculum ex pluribus quæ unà nō cohærent, colligerem. Porrò in singulis, & uera tantùm narrare, & noua inuenire, maioris cuiusdam (ut dixi) sapientiæ erat quàm nostræ. Et maximè ut laus quæ tot antiquis pro singulis inuentis debebat, mihi uni quòd multa in singulis inuenissē, cederet. Quāobrem cùm impudens sit iactantia, & insolens uana gloriatio, stultaque suarum rerum

rum oſtentatio, inuiſum præconium, nobis tamen hîc licet tanquam de alienis uerba facere. Quòd mentem noſtram altiùs deſcendiſſe docuerimus. Eſſeq; hanc tantam rerum cognitionẽ maioris cuiuſdam prouidentiæ, ac melioris naturæ, quam huius mortalis cõditionis. Itaq; ut ambitioſi eſt, ſibi in ſuis placere inuentis, inanis uerò etiã gloriari: ita timidi non audere quę acceperis, laudare: cùm maxima laus ſit, cuiuſque operis prodeſſe pluribus, & agnoſcere proprium autorem. Præſertim quum ille immortalis fuerit, benignusq; demonſtrator incognitarum rerum. Etenim ſi in domo tua latitans, aliquid pulchrum inueneris, lætaris? quòd ſi etiam pretioſum ſit, multò magis? Et ſi theſaurus, adhuc longè plus. Quid igitur ſi in hac generali omniũ noſtrûm domo, Vniuerſo ſcilicet, cùm tam multa tot ſeculis latuerint: nunc uerò demum inuenire licuerit, nónne res ſumma laude digna, & de qua lętari poſsit, qui inuenerit, & ei qui oſtenderit, gratias agere, uideri debet? Quid dicam de cœli motu tam rapido, tamq; multiplici, cometarum & uentorum cauſis, elementis atque quæ in his habitant, poteſtatemq; maximam gerant, plantis, lapidibus, animalibus, artibus, gentium ritibus, totq; magnificis

rebus,

rebus, quæ uetuſtas dedit & perdidit, de tot arcanis naturæ uiribus? ut uideri poſsimus, cùm ipſo Opifice uoluiſſe contendere. Sed abſit: non hoc ſtudio nobis quærendi ſcribendiúe quæ ſupra mentis noſtrę uires ſunt, ſed quaſi promoti maiori ui paremus ac poteſtati. Et licet aliqua ſint ab alijs tradita, non parum tamen fuit illa à tot mendis, à tot erroribus repurgaſſe: inter tot alia falſa ſolo iudicio ſelegiſſe, rationem cauſamq; addidiſſe, experimentoque comprobaſſe. Et quæ diffuſius ſcripta erant, paucis uerbis explicaſſe. Quo factum etiam eſt, ut coactus ſim quibuſdam, quòd periculoſa eſſent obſcuritatem induere. In alijs breuitate ſumma uti, ne uileſcerent quòd pertrita eſſent, denique in pleriſq; quòd difficiliora eſſent, dilucidiori explicatione uſus ſum. Turpiſſimum enim eſſe reor ita ſcribere, ut non intelligaris. In utroque enim genere par artis excellentia requiritur, ſeu euulgata ad altiorem reuoces ſenſum, ſeu difficillima (ut dici ſolet) ſub oculis ponas. Cùm uerò tot uariarum rerum tractatio eſſet, nullo mihi hoc opus titulo dignius uideri potuit, quàm eo quòd totam ſeriem illius explicaret, uniuerſamque eius uim unico uerbo oſtenderet. Quamobrem iuſtè mihi uideor illi titulum præfixiſſe, de RERVM VARIETA-

TE. Atque hæc ſatis eſſe poterant de libri utilitate agenti, ſi æquis iudicibus hæc res tractaretur. Verùm cùm multi adeò peruicaces ſint, ut non niſi ab Ariſtotele tradita recipiant, immenſumq; illud diuinæ ſapientiæ pelagus exiguo humano uaſculo, nec ſatis integro concludere nitantur? nónne ſtultos, ſi credant, inuidos: ſi non credant, exiſtimare eos oportet? Turpius alij obijcient, quòd nihil admirabile inter tot tantaque experimenta conſcripſerim, aſſueti mendaciſsimorum ſycophantarum libris, quaſi quis non laude dignus eſſe poſsit, ſi non egregiè ſolùm, ſed etiam impudenter mentiatur. Ego uerò ne illos qui talia dixerint, libros hos legiſſe ſuſpicabor, cùm non minora & uera figmentis horum nebulonum in eis contineantur: ſed ea arte ſepulta, ut non niſi à præclariſsimis ingenijs atque eruditis erui poſsint. Quamobrem & nomini tuo Princeps optime, illos dedicaui, non ſolùm quòd bonis artibus ſemper faueris, ſed etiam quòd harum rerum exactus cenſor eſſe poſsis: ut qui non minus hæc naturalia quàm diuina etiam calleas, cuius indicio ſunt tam multa quæ noris arcana naturæ admiranda. Cæterùm, ſi uera eſt etiam illa Platonis ſententia, ſcilicet beatas eſſe eas reſpublicas, in quibus philoſophi dominarentur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p0024-4 DFG

rentur, & hanc nuncupationem multo magis tibi debebimus. Et tu ter maximus, quemadmodum Trismegistus ille, meliorem etiam omni disciplina naturam quandam nactus, patriam nostram felicissimam singulari prudentia & moderatione reddes. Vale XIIII. calendas Augusti, M. D. LVI.